

DECRETUM.

(37. Quo disposita, atque sancita a Vice Commissario Generali Minor. Observ. Reformat. S. Francisci pro Conventibus, Recessus, seu Recollectionis nuncupati confirmantur.

Sacra Congregatio super Disciplina Regulari expenso tenore Epistolæ circularis Vice Commissarii Generalis Min. Observantium Reformatorum S. Francisci datæ die 6 Januarii 1707, in qua sub num. 6, ubi de Conventione Recessus, seu Recollectionis agitur, hæc habetur: *E in detto Convento, o Conventi, ne quali dovrà attendersi al solo spirito, divozione, ed orazione, non vi potrà essere studio, ne Lettori, o altro Religioso esente da qualunque atto commune.* Et mature perpensis omnibus, et singulis deductis tam a dicto Vice Commissario Generali, et Procuratore Generali Strictioris Observantiæ Sancti Francisci ex una, quam a Patribus habitantibus in Conventibus Recessus Provinciarum Reformatorum Marchiæ, et Bononiæ Patribus ex altera, pro stabilitate Conventuum Recessus, sive Recollectionis cum peculiaribus legibus rescripsit: Executioni mandetur in omnibus Provinciis prædicta Epistola Circularis Vice Commissarii Generalis sub die nona Januarii 1707. Et tam Superiores Generales, quam Provinciales omnino provideant Conventus Recollectionis, alias Sacra Congregatio providebit. Dat. Romæ hac die 24 Martii 1708.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

DECRETUM.

(38. De instituendis in unaquaque Provincia Strictioris Observantiæ Sancti Francisci Conventibus spiritualis recess. pro Religiosis ferventioribus ad præscriptum Epistolæ Circularis P. a Monte Bufo Vice Commissarii, alias a Sacra Congregatione confirmatæ.

Cum ad aures Sacræ Congregationis super Disciplina Regulari pervenerit, et multiplici fide dignorum testimonio fuerit comprobatum: in multis Provinciis strictioris Observantiæ S. Francisci per Italiam, et Insulas adjacentes Epistolam Circularem Vice Commissarii Generalis a Monte Bufo, datam 9 Januarii 1707, et ab hac Sacra Congregatione confirmatam 24 Martii 1708, plenum non sortiri effectum quoad demandatos spiritualis Recessus Conventus: Volens propterea Sacra Congregatio, ne talis inobservantia in Regulari Disciplina detrimentum diutius protrahatur, opportune, et efficaciter providere, re mature discussa, auditisque pluries, tum voce, tum scripto Superioribus Ordinis, referente Eminentissimo Fabrono, rescripsit. Pro omnimoda observantia præfata Epistolæ Circularis Vice-Commissarii Generalis a Monte Bufo confirmatæ, ut supra, a Sacra Congregatione, de instituendis in unaquaque Provincia supradictis Conventibus spiritualis Recessus pro Religiosis ferventioribus, et non concedatur licentia admittendi ad habitum, et professionem, nisi in

Provinciis in quibus Sacræ Congregationi constiterit, præfatos Conventus reipsa institutos esse, ac sedulo, et cum effectu a Superioribus Generalibus detur notula, ubi sint respective instituti dicti Conventus. Romæ 10. Decembris 1714.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

DECRETUM

(39. Consimile præcedenti pro Minoribus Observantibus Sancti Francisci.

Cum ad aures Sacræ Congregationis super Disciplina Regulari pervenerit, et multiplici fide dignorum testimonio fuerit comprobatum in multis Provinciis Minorum de Observantia Sancti Francisci per Italiam, et Insulas adjacentes Breve San. mem. Innocentii XI. quod incipit. *Militantis Ecclesiæ*, etc., editum die 22. Novembris 1679. plenum non sortiri effectum, quoad demandatos Recollectionum Conventus; Volens propterea eadem Sacra Congregatio, ne talis inobservantia in Regulari Disciplina detrimentum diutius protrahatur, opportune, et efficaciter providere, re mature discussa, auditisque pluries, tum voce, tum scriptis Superioribus Ordinis, referente Eminentissimo Fabrono, censuit: Supersederi pro nunc in expeditione novi Brevis, sed omnino servandam esse dispositionem Brevis San. mem. Innocentii XI. 22. Novembris 1679. de non concedenda licentia admittendi ad habitum, et ad Professionem in illis Provinciis, in quibus plene non constiterit Sacræ Congregationi, supradictos Recollectionum Conventus institutos fuisse juxta formam in eodem Brevis præscriptam. Et interim detur a Superioribus Generalibus nota, ubi respective sunt Recollectionum Conventus. Romæ 10. Decembris 1714.

J. R. Card. Imperialis præfectus.

F. de Vico Secretarius.

DECRETUM

(40. Quo officium Prieratus Conventus S. Marcelli de Urbe Ordinis Servorum B. M. V. declaratur incompatible cum cura Animarum ejusdem Ecclesiæ, ac præterea statuitur ut prædicta duo munia, tamquam incompatibilia in omnibus Conventibus cujuscumque Ordinis, Societatis, et Instituti seorsim, distinctisque personis demandentur.

Mature discussa in Sacra Congregatione super Disciplina Regulari, habita sub die 28. Maii currentis Anni 1715. Causa Incompatibilitatis Prioratus Conventus Sancti Marcelli de Urbe Ordinis Servorum B. M. V. et Curæ Animarum ejusdem Ecclesiæ, unitim in Persona Patris Hieronymi Allegri, Eminentissimi Patres, auditis Partibus, unanimiter censuerunt, prædicta duo munia esse inter se incompatibilia, et insuper nominationem præfati Patris Allegri in Priorem dicti Conventus esse nullam: Mandantes insimul, sanctissimo Domino Nostro approbante, ut enunciata duo Officia seorsim pro-

videantur in omnibus et singulis Conventibus cujuscumque Ordinis, Societatis, aut Instituti, quibus Cura Animarum incumbit, aut incumbere contigerit. Et ita perpetuo, et inviolabiliter observetur sub penis arbitrio ejusdem Sacræ Congregationis.

J. R. Card. Imperialis Præfectus.

F. de Vico Secretarius.

CRAPULA.

Vide verb. CLERICUS, art. 5, a num. 15, et 23.

CRIMEN,

PROUT EST IMPEDIMENTUM MATRIMONII.

Vide verb. IMPEDIMENTA MATRIM., art. 5, num. 79, ad 90.

CRUX.

SUMMARIUM.

1. Crux Christi a S. Helena Constantini Magni Imperatoris Matre fuit adinventæ. — 2. Crux Christi inter illas Latronum miraculo fuit cognita, ad num. 5. — 4. Crux suæ præcisionis damnum non sentit, sed crescit, et multiplicatur. — 5. Crucis Domini Titulus quando Romæ fuerit inventus. — 6. Episcopo ingredienti aliquam Civitatem, vel Ecclesiam Parochialem, Crux deosculanda a quo porrigi debeat. — 7. In Processionibus deferenda est Crux cum Imagine Crucifixi terga vertente Clero, seu populo sequenti. — 8. Crux in Processionibus deferenda est a Regularibus cum velo pendente, seu pallio. — 9. Cappucini in Processionibus possunt erigere, seu deferre propriam Crucem. — 10. Cappucini post sibi concessam propriæ Crucis erectionem, debent in Processionibus locum cedere Regularibus anterioribus. — 11. Reformati, Discalceati, et Recollecti S. Francisci in Processionibus incedunt sub Cruce Minorum de Observantia. — 12. Crux in Processionibus deferri debet a Religiosis Laicis, seu Conversis, non autem a Clericis Professis. — 13. In funeralibus unica tantum Crux deferitur illius Ecclesiæ, in qua defunctus sepeliri debet. — 14. Id tamen intelligendum est, dummodo Processioni funerali non interveniat Capitulum Cathedralis, quia tunc omnes invitati sub unica illius Cruce ad Ecclesiam tumultantem incedere debent. — 15. Et idem est dicendum etiam, quando intervenit Capitulum Collegiatæ, ad n. 16. — 17. Si autem favore regularium concurrat immemorabilis consuetudo circa delationem propriæ Crucis, est servanda. — 18. Quid circa id statutum sit observandum a Clero Urbis. — 19. Quidve observandum a Confraternit. ejusdem Urbis. — 20. Confraternitates generatim nequeunt in Processionibus propriam erigere Crucem. — 21. Cruces Altarium, et Processionum non sunt benedicendæ præcepto, et quilibet Sacerdos eas private benedicere potest. — 22. In Altari etiamsi sit expositum Venerabile, sem-

(1. Crux Christi a Sancta Helena Constantini Magni Imperatoris Matre fuit adinventæ. Ipsa enim in somnis admonita, conquiritur, et adorandæ Crucis studio Jerosolymam petiit; ibique, ut scribit S. Ambrosius in oratione de obitu Theodosii, aperit humum, decutit pulverem, tria patibula confusa

(1) Vol. IX. Symbolorum, quas cl. Gorius Florentiæ edidit p. 65 seqq., exstat Francisci Antonii

FERRAR. II.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. De excommunicatione quam indiscriminatim incurrere ait Auctor num. 5. et plur. seq. Fœminas ingredientes clausuram Conventuum Virorum, tum Religiosos ipsas introducentes, vidè quid sentiant Pirhing. in Decretal. lib. 3, tit. 35, § 6, num. 45. Engell., in Collegio Jur. Canon. lib. 3, tit. 35, num. 13. Schmalzgrueber Jur. Eccles. univers. lib. 3, part. 4, tit. 35, § 4, num. 131, Suar. de Censur. disp. 22, sect. 6, n. 10. et plur. seq.

per requiritur Crux cum Imagine Crucifixi. — 23. In fine Missæ ad quodcumque Altare celebratæ, fit reverentia Cruci infra gradus, capite semper aperto. — 24. Cruces, quæ fiunt a Sacerdote super Oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis, et digitis conjunctis. — 25. Signum, quod fit cum Patena a fronte ad pectus, fit integre cum signo Crucis. — 26. Manus Sacerdotis ad Hanc igitur oblationem debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextro super sinistrum in modum Crucis supra manus, non vero infra manus. — 27. Cruces in Missa super Calicem, et Hostiam quando efformandæ. — 28. Tolerari non debet, quod in locis publicis, et sordidis stent depictæ diversæ Cruces, ac Sanctorum Imagines in derisionem Christianæ Religionis. — 29. Cruces, et nova insignia præter solitum in Processionibus deferre non licet. — 30. Crucem propriam in Processionibus erigere non possunt Presbyteri alicujus Ecclesiæ intra limites propriæ Parochiæ, sed debent incedere sub Cruce Parochiæ. — 31. Archiepiscopi possunt ante se deferre Crucem etiam per loca exempta suarum Diocesium; Et idem possunt Episcopi habentes privilegium deferendi ante se Crucem, ad num. 34. — 35. Alia ad rem. Remissive. — 36. Affertur origo Crucis Caravacensis. — 37. De pluralitate Crucium in funeralibus. — 38. An Sacerdos debeat omittere Crucis osculum in Missis de Requiem. — 39. ad 41. De Crucis loco in Exsequiis Defunctorum. — 42. Quomodo a Summo Pontifice ad Archiepiscopos mos ante se deferendi Crucem dimanavit. — 45. ad 48. De unitate vel pluralitate Crucium. — 49. Signo Crucis Horas Canonicas auspicari solemus. — 50. Quanta virtus et antiquitas hujus signi. — 51. De Cruce pectorali. — 52. 53. De Episcoporum usu Crucem deferendi. — 54. 55. De R. Pontificis usu. — 56. De Crucis prælatione. — 57. De Ligno S. Crucis, aliisque Dom. Passionis Instrumentis in processionibus deferendis.

reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat; sicque Divinis monita visionibus Beatissimum Crucis lignum Sanctissima Imperatrix invenit; Nicephorus lib. 8, cap. 29, Socrates lib. 1, cap. 11. Theodoretus lib. 1, cap. 18, et alii cum Baronio tom. 3, anno 326 (1).

Zachariæ de Inventione S. Crucis dissertatio. (Edit. Barbiell.)

(2. Cum autem tres simul fuissent Cruces repertæ, et Titulus Dominicæ Crucis seorsim ab illis, proptereaque dubitaretur quænam illa foret, in qua Dei Filius pependisset, eam dubitationem sustulit miraculum; quippe Macarius Jerosolymorum Episcopus, factis Deo precibus, eas in conspectu Imperatricis cuidam Fœminæ gravi morbo laboranti admovit, cui cum reliquæ nihil profuisent, adhibita tertia Crux, statim eam sanavit: Sic Rufinus Aquilejensis lib. 1. Histor. cap. 7. et 8. Theodoretus lib. 1, cap. 18. Socrates lib. 1, cap. 13. Sozomenus lib. 2, cap. 1, apud Baronium tom. 3, anno 326, num. 47, et concordat Breviarium Romanum lection. 5, in Festo Inventionis Sanctæ Crucis. (3. Sanctus Paulinus tamen epistol. 11. ad Severum, et ipse Severus Histor. lib. 2, apud Baronium loc. cit. num. 46, non seminecem feminam sanitati restitutam, sed mortuum ad vitam revocatum tradit, dicens quod cadaveri illato Cruces duæ adhibitæ fuerunt, quas mors sprevit. At vero ubi tertia admota est, Dominicam Crucem esse prodidit resurrectio; et ad salutaris signi tactum morte profuga, funus excussum, et corpus erectum est; tremefactisque viventibus, stetit mortuus, et funebribus, ut Lazarus quondam, vinculis expeditus, illico inter spectatores suos redivivus incessit. Nicephorus vero l. 8, cap. 29, apud Baronium l. c. n. 47, in fine, utrumque miraculum accidisse tradit, cum subdit: *Dicunt quoque, postea mortuo prorsus Crucem impositam, in vitam illum repente revocasse.*

(4. Crux suæ præcisionis damnum non sentit, sed crescit, ac multiplicatur; Tanta enim est Dei bonitas, scribit Bosius, l. 6 de Cruce, relatus, et sequutus a Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ, verb. *Crux*, fol. 613, litt. E, quod pro fidelis populi solatio eam virtutem suæ Cruci impartiat, ut cum omnium hominum desiderio per particularum ejusdem distributionem fiat satis, nullo tamen sui detrimento id eveniat. Et Sanctus Paulinus Epist. 11, ad Severum, sic habet: « Operante Divina virtute, jugi miraculo Crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum sūum commodat, ut detrimenta non sentiat, et quasi intacta permaneat, quotidie dividuam sumentibus, et semper totam venerantibus, sed istam impubibilem virtutem, et indetribilem soliditatem de illius profecto Carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem; » sic apud Baronium cit. t. 3, ann. 326, n. 50, ubi ipse subdit, quod de multiplicatione in Crucis divisione divinitus impartita, quam S. Paulinus testatur, testis fidelis accedere videtur S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 10, cum ait: « Quinque panes testantur in quinque millia multiplicati; Lignum Crucis testatur ad hodiernum diem apud nos apparens, et apud eos, qui secundum fidem ex illo capientes hinc universum

(1) Huc spectat de Titulo Dominicæ Crucis Ar-
chetypo Commentarius Dominici Mariae Maunii, qui

Orbem fere jam repleverunt. » Unde Baronius ipso loc. c., n. 50, sic concludit: « Hæc igitur a S. Cyrillo tertium repetita, et a S. Paulino disertis verbis asserta ora obstruunt subsannantium Hæreticorum, atque adeo objectantium, quomodo fieri possit, ut Crux una tot in partes toto reperiat Orbem diffusa. »

(5. Crucis D. N. Jesu Christi Titulus inventus fuit Romæ in Ecclesia Sanctæ Crucis in Hierusalem die vigesima mensis Januarii 1492, Græcis, Hebraicis, et Latinis Characteribus conscriptus; Alexander VI, Const. 4, incipit. *Admirabile* (1).

(6. Crucem deosculandam porrigere Episcopo ingredienti in aliquam Civitatem spectat ad digniorem illius loci, etiamsi non ad illius Ecclesiam, sed ad aliam Parochialem dirigatur. Cum vero ingreditur Parochialem Ecclesiam, debet hoc præstari a digniore illius Ecclesiæ, licet sint præsentibus Canon. Cathedr. vel Collegiatæ; Sac. Congr. Rit., in Calaguritana, 1 Jun. 1602, apud Barbos., loc. c., n. 5.

(7. In Processionibus ita debet Crux deferri, quod imago Crucifixi terga vertat Clero, seu Populo sequenti, quasi Christus præire videatur; ad differentiam Crucis Papalis, vel Archiepiscopalis, in qua imago Crucifixi respicit Papam, vel Archiepiscopum, quasi ex illius aspectu in summa animarum cura ii recreentur, ut indicatur in Cæremon. Episcop., l. 1, c. 13, et l. 2, c. 16, et aperte in Cærem. Marcelli, l. 3, c. 20, et Crassis, l. 2, c. 42. Sic Gavant., Commentar. in Rubricas, part. 1, tit. 19, n. 3. Synodus Alexandrina XI, tit. 10, Decret. unic. citans ad id Decretum Sac. Rit. Congr.

(8. Crux in Processionibus deferenda est a Regularibus, cum velo pendente, seu pallio; Sac. Rit. Congr., 14 Januar. 1637.

(9. Capuccini in Processionibus possunt erigere propriam Crucem; Ead. Sac. Rit. Congr., 21 Maji 1618, et Paulus V, Const. 9, incip. *Pastoralis Officii*.

(10. Capuccini post sibi concessam propriæ Crucis erectionem, debent in processionibus locum cedere Regularibus illis, qui sub propria Cruce, et in proprio loco incedebant, antequam ipsi propriam Crucem deferrent; Ead. Sac. Congr., 23 Martii 1619.

(11. Reformati, Discalceati, et Recollecti S. P. Francisci in Processionibus incedunt sub Cruce Minorum de Observantia; Ead. Sac. Rit. Congreg., 3 Junii 1617.

(12. Crux in Processionibus deferri debet a Religiosis Laicis, seu Conversis, non autem a Clericis Professis; Sacra Congr. Episcop. et Regular. in Provincia S. Angeli, Delationis Crucis, 16 Septembris 1718. Ponente Card. Casono, teste Ursaya, t. 3, part. 1, discept. 5 per totum.

(13. In funeralibus unica tantum Crux deferretur illius Ecclesiæ, in qua Defunctus sepeliri debet. Sic servandum esse ubique decrevit Sac. Congr. Episcop. et Regul. in

in eodem Gorianorum Symbolorum Volumine IX. prodit pag. 1. seqq. (Ed. t. Barbiell.)

Barensi, 29 Julii 1616, et in Potentina, 14 Jun. 1647, et sæpe alibi. Et declaravit Sac. Rit. Congr. in alia Barensi Terræ Melagni, 2 augusti 1631, et in Messanensi, 12 Febr. 1653, per hæc verba: « In funeribus deferenda est unica tantum Crux illius Ecclesiæ, ad quam corpus transfertur; post quam sequi debent immediate personæ illius Ecclesiæ, et deinde cæteri secundum antianitatem, » ut censuit eadem Sac. Rit. Congr. in Narniensi, 30 Septembris 1614, et in Andriensi, 22 Nov. 1631, ad 3, et elicitur ex Rituali Romano in Rubric. de exequiarum Ordine atque Romæ observatur. Sic refert Pignatell., t. 6, consult. 58, n. 13, qui tom. 8, consult. 83, n. 175, assertit ad id etiam Decretum Sac. Congr. Conc. præcisus his verbis: « Die 17 Januarii 1682, Sac. Congr. Conc. declaravit Crucem deferendam esse debere illius Ecclesiæ ad quam funus ducitur, illamque deferendam esse a Clerico ejusdem Ecclesiæ post Confratres ante Clerum, et ita servari mandavit, etc. » Et resolvit ead. Sac. Congreg. Concilii in Aquensi Terræ Incisæ Jurium Parochialium 9 Jun. 1708, ad decimum tertium dubium, ibi: « Sub unica Cruce Ecclesiæ tumulantis. » Et idem statuit Sac. Congr. Episcop. et Regular. in una Civitatis Castelli Juris funerali die 16 April. 1723, responsion. ad 5, ex dubiis pro PP. Conventualibus, et Parochis ejusdem Civitatis propositis, et resolutis ut infra.

I. An PP. Conventuales Terræ Citerne, accedentes ad publicas, et Generales Processiones, incedere possint sub propria Cruce absque licentia Parochi? *Affirmative.*

II. An constet de immemorabili accedendi PP. Conventuales occasione associationis Cadaverum recta via Domum Defuncti? *Et quatenus constet*; An vigore ejusdem immemorabilis possint dd. Pat. sic continuare: vel potius teneantur accedere ad Parochialem?

Ad 2. Assertam etiam immemorabilem non suffragare.

III. An possint dict. Patres accedere ad Ecclesiam, in qua depositum est Cadaver ad effectum sepeliendi in alia Ecclesia; vel potius teneantur accedere ad Parochialem?

Affirmative quoad primam partem. Negative quoad secundam.

IV. An pro Cadaveribus illorum qui sibi Sepulturam elegerunt in Ecclesia eorundem Patrum, Exequiæ ab ipsis fieri debeant, vel potius a Parocho?

Affirmative quoad primam partem. Negative quoad secundam.

V. An in dicto casu electionis Sepulturæ in Ecclesia Patrum Conventualium, Clerus Sæcularis incedere debeat sub propria Cruce, vel potius sub illa eorundem Patrum?

Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam.

VI. An iidem Conventuales cogi possint ad associanda Cadavera in eorum Ecclesia tumulanda, vel potius illa expectare possint in Janua propriæ Ecclesiæ.

Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam. Sic refert Ursaya t. 3, part. 2, disceptat. 25, n. 50 ad 55.

(14. Id tamen intelligendum est, dummodo Processioni funerali non interveniat Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, quia tunc omnes de Clero, tam Sæculari, quam Regulari invitati, ad Ecclesiam Cathedralem convenire, et sub unica illius Cruce ad Ecclesiam tumulantem incedere debent. Sic Samuel de sepulturis tract. 1, disp. 3, controvers. 3, conclus. 6, num. 37, et Monac. t. 1. tit. 5, formul. 7, num. 37, ibi: « In defunctorum associatione, si Capitulum Cathedralis incedat cum Regularibus, tantum una Crux est ferenda ab Ecclesia Cathedrali ob illius reverentiam. Cadaver si sepeliatur in Ecclesia Regularium, non erigenda est ab eis alia Crux, si vero ab Ecclesia Cathedrali non deferretur, eam Regulares erigent, si Cadaver est tumulandum in sua Ecclesia. » Sic Sac. Rit. Congr. sancivit in una Pisaren. 22 Martii 1632. Et magis præcise ead. Sac. Rit. Congr. in Fossanen. 22 Julii 1645. Decreto tenoris sequentis. « Episcopus duobus dubiis humiliter petit responderi. Primo, an servandum sit Decretum ab ipso factum, quod ad funera vocatis non liceat expectare Defunctum per vias, vel illius Domum petere, sed quod debeant intervenire ad Ecclesiam Parochialem, ad quam funus deferretur, vel ad Cathedralem, si Cathedralis capitulariter interveniat, consuetudine immemorabili in contrarium non obstante. Secundo, an cum Cathedralis, et Parochi soleant deferre singuli suas Cruces, ac Vexilla Confraternitatum in suis Ecclesiis respective existentium, ut capent duos Cereos pro singulis Crucibus, et Vexillis, possit idem Orator præcipere, ut Clerus sæcularis totus incedat sub unica Cruce, Cathedralis videlicet, quando capitulariter, alias Parochialis, ad quam funus deferretur remotis hujusmodi Vexillis etiam Regularium, prædictæ consuetudine non obstante?

« Sac. Rit. Cong. ad primum respondit, tam Sæculares, quam Regulares etiam exemptos ad funera mortuorum vocatos in Ecclesiam Cathedralem, alias in Parochialem, ad quam funus deferretur, convenire debere, et nullo modo permittendum, quod expectent per vias, vel adeant Domum Defuncti, consuetudine immemorabili in contrarium non obstante.

« Ad secundum sub unica Cruce incedere debere omnes associantes funus, et ea sit illius Ecclesiæ, ad quam Corpus deferretur sepeliendum, nisi intervenerit, ut supra, Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ; quo casu sub una duarum respective Cruce omnes incedere debent, prædictæ consuetudine non obstante. » Die 21 Julii 1645, ita reperitur, etc. Quod decretum confirmavit postea ead. Cong. in Aretina de anno 1664, inter Monachos Casinenses, et Capitulum Cathedralis, et denuo inter easdem partes 22 Decemb. 1697, in responsione ad primum. Sic Monacell. l. c. n. 38 et 39.

(15. Ubi ut vides stante supra dicto Decreto non solum cum intervenit Capitulum Cathedralis, sed etiam cum intervenit Capitulum Collegiatæ omnes ad funus invitati incedere debent sub unica illius Cruce. Quod et decre-

vit Sacra Congreg. Episcoporum et Regularium in Nullius Atinæ Juris sepeliendi die 2. Aug. 1709, in responsione ad 2, ex dubiis pro PP. Reformati S. P. Francisci, et Capitulo Ecclesie Collegiate ejusdem loci propolis et resolutis, ut infra.

I. An PP. Reformati S. Franc. Atinæ teneantur solvere quartam Parochiali, et Collegiate Ecclesie ejusdem loci, pro illis defunctis, qui in eorum Ecclesia sepulturam elegerunt?

II. An in associatione cadaveris ad propriam Ecclesiam possint iidem Patres incedere sub illa Ecclesie Collegiate, et Parochialis?

III. An possit Capitulum ejusd. Parochialis, et Collegiate Ecclesie cum Stola et Cruce ingredi Ecclesiam dd. Patrum, in eaque functiones aliquas facere circa Cadaver, antequam sepulturæ tradatur; seu potius debeat tantum dare ultimum Vale? Et quatenus affirmative quoad 2. partem.

IV. An dictum ultimum Vale consistat in simplici benedictione Cadaveris, recto tramite introducendi in Ecclesiam Regularium; vel potius in recitatione alicujus Psalmi, vel alterius Orationis.

V. An tempore Processionum, quo Capitulum præfatum Ecclesiam ingredi solet, possit Celebrans recitare preces, et etiam Missam celebrare, et teneantur Patres Capitulum urbaniter excipere, et Campanas pulsare.

Die 2. Augusti, 1709. Ponente Eminentissimo Card. Corsino.

Ad primum responsum fuit: Negative.

Ad 2. Negative quoad primam partem, et quoad secundam Affirmative in casu de quo agitur, quando Canonici accedunt capitulariter.

Ad 3. Negative quoad primam partem; et quoad secundam, Affirmative quoad ingressum et ultimum Vale.

Ad 4. Ultimum Vale consistere in simplici benedictione.

Ad 5. Episcopo pro informatione.

Reproposita vero per eundem Ponentem in Congregatione habita die 7 Septembris 1710. rescriptum fuit.

Capitulo licere ingredi cum Stola, et Cruce in casu, de quo agitur; nullum tamen peragere Officium circa Cadaver in Ecclesia, et ultimum Vale esse dandum extra Ecclesiam. Sic refert Ursaya, tom. 4, part. 1. discept. 31. in princip. et a num. 11, ad 17. et a num. 51, ad 57.

Sic etiam respondit eadem Sac. Congr. Episcop. et Regul. in alia Nullius seu Aquinaten. Juris sepeliendi die 6 Sept. 1709. in responsione ad primum ex sequentibus dubiis.

I. An in associatione Cadaveris ad propriam Eccles. Regulares possint incedere sub illa Ecclesie Parochialis Collegiate?

II. An possit Capitulum ejusdem Parochialis, et Collegiate Ecclesie cum Stola, et Cruce ingredi Ecclesiam dictorum Patrum, in eaque functiones aliquas facere circa Cadaver, antequam Sepulturæ tradatur; seu potius debeat tantum dare ultimum Vale?

et quatenus affirmative quoad secundam partem.

III. An dictum ultimum Vale consistat in simplici benedictione Cadaveris, recto tramite introducendi in Ecclesiam Regularium; vel potius in recitatione alicujus Psalmi, vel alterius Orationis?

Sac. Congreg. 6 Septembr. 1709, auditis partibus, respondit.

Ad 1. Negative quoad primam partem, et quoad secundam affirmative in casu, de quo agitur.

Ad 2. Negative quoad primam partem, et quoad secundam Affirmative quoad ingressum, et ultimum Vale.

Ad 3. Ultimum Vale consistere in simplici benedictione.

Sic refert Matthæucci Official. Curie cap. 19. quoad Exequias, n. 14.

(16. Ac id competere etiam Ecclesie Collegiate jam cum aliis censuerat Pignatell., tom. 6, num. 1. referens sic resolvisse Sacram Congreg. die 14 Maji 1664, ibi: Sac. Congreg. censuit, ac declaravit in funeribus unieam Crucem adhibendam esse illius Ecclesie, ad quam Cadaver defertur, nisi Capitulum Cathedralis, vel Collegiate funeri interfuerit; quo casu Crux Capitularis private adhibenda est.

(17. An autem, si favore Regularium concurrat immemorabilis consuetudo circa delationem propriæ Crucis, ipsi suffragetur, affirmat relatis declarationibus ejusdem Sacre Congregationis, Passerinus de homin. statu quæst. 187. art. 4, num. 181. cum seq., tom. 2. relat. etiam a Pignatell. loc. cit., num. 2. qui tom. 6. consult. 58, num. 14, de similis consuetudinis valore sic habet expresse: « Dummodo non extet consuetudo a tempore immemorabili observata, quod in associatione Cadaverum, etiam quando interveniunt Capitulum, et Canonici Cathedralis, non deferatur solummodo Crux ejusdem Cathedralis, sed etiam Crux Ecclesie, ad quam corpus defuncti defertur, aliorumque etiam Regularium, qui fuerint vocati. » Et ibidem num. 15. subjungit, quod licet Capitulum Cathedralis habeat pro se regulam, quod quando funeri intervenit, debeant omnes incedere sub unica ejusdem Cruce « id tamen non procedit in iis locis, in quibus adest consuetudo in contrarium, quæ sit in viridi observatione; » et ad id adducit Conc. Lateranense, et plura Decreta Sac. Congreg. Rituum. Et de facto Sacra Congregat. Episcoporum, et Regularium in una Nucerna Paganorum, 15 Septemb. 1690. manu entionem concessit PP. Basilianis in erectione Crucis occasione associationis Cadaverum in eorum Ecclesia tumulandorum, etiam interveniente Capitulo Cathedralis.

(18. Pro Urbe a Statuto Cleri Romani in forma specifica a SS. D. N. c. 5, § 7. sic habetur dispositum ibi: « Demum procedant omnes gradatim sub una tantum Cruce, illius videlicet Ecclesie, ad quam Cadaver tumulandum defertur, nec alias Crux, sive Crucifixus sub quovis prætextu, vel consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela, erigatur.

(19. sive sit propriæ Parochiæ, sive Regularium, sive Laicorum Confraternitatum, sive etiam Capitulum Collegiarum, etiam insignium, et Parochialium. »

Quoad erectionem autem Crucis Confraternitatum pro sedandis litibus, et controversiis inter eas, et Parochos Urbis, extant responsa Sac. Congr. Conc. ut infra: « Cum multis ab hinc annis ortæ fuissent controversiæ inter RR. Parochos, et Ven. Societates Urbis, occasione Processionum funeralium, et partes habuissent recursum ad Sacram Congregationem Conc. hæc dubiis, tunc porrectis, dedit infrascriptas responsiones; vide licet:

« Primo. An Archiconfraternitas possit in funeralium Processionibus erigere suam Crucem, quando defuncti tumulandi deferuntur ad ipsius Ecclesiam, in qua sepulturam elegerunt?

« Secundo. An eadem Confraternitas possit suam Crucem erigere, tam per viam, quam in Ecclesia Parochiali, quando est invitata ad associandum cadaver sepeliendum in ipsa Ecclesia Parochiali?

« Tertio. An Capellanus ejusdem Archiconfraternitatis indutus Cotta, et Stola possit, post absolutum a Parocho Officium funeris, in Ecclesia Parochiali, una cum Confratribus canere Psalmos Miserere, et De profundis, cum aspersione aquæ Benedictæ?

« Quarto. An possit Parochus Officium funeris peragere in Ecclesia Archiconfraternitatis super Cadaver defuncti in eadem Ecclesia tumulandi, etiamsi sit Parochus, intra limites cujus Parochiæ Ecclesia Archiconfraternitatis est?

« Ad primum. Præcedat Confraternitas, deinde Crux ejusdem Ecclesie, deferenda per Clericum ipsius: postea sequatur Clerus Regularis, et tandem Sæcularis.

« Ad secundum. Negative, tam in Ecclesiis, quam in Processionibus funeralibus præsentem Parocho.

« Ad Tertium, et Quartum. Negative. »

Quorum observantiam præcepit Eminen-

(1) Ubi de Cruce in Altari ponenda, quando in eodem publice venerationi exposita est Eucharistia, sermonem facit Auctor, respiciens ad Decretum Sac. Rituum Congregationis die 14 Maji 1707, asserit, semper extare debere Crucem in Altari, quod tamen ex eodem Decreto non colligitur, quinimmo ex variis ejusdem Sac. Congregationis Decretis constat servandum, quod ad rem spectat, de Cruce in Altari ponenda, in quo est exposita Eucharistia, consuetudinem, et morem propriæ Diocesis, quemadmodum declaravit nuper Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV, in Bulla *Accipimus*: die 16 Julii 1746. in qua referens ea, quæ a Sac. Rituum Congregat. hæc eadem de re sancta jam fuerant, hæc habet præclara verba: « Satis commendari non possunt ea quæ prudenter sapienterque decreta fuere a prædicta Sacrorum Rituum Congregatione, nempe, ut qualibet Ecclesia, vel Diocesis suam retineat consuetudinem, ita ut nihil immutetur in ea Diocesi; ubi Crux in Altari constitui soleat, dum Missa celebratur, etiamsi Sacra Eucharistia publice prostet; neque nova disciplina excitetur in ea Diocesi, ubi contraria hujus rei consuetudo jam pridem invaluerit. » Et certe in Patriarchalibus aliisque Urbis Ecclesiis hæc praxis non servatur, ut

tiss. Urbis Vicarius Gaspar Card. Carpineus. Die . . . Anno 1698. apud Impressorem Cameralem; Sic apud Matthæucc. loc. cit., num. 12.

(20. Confraternitates generatim nequeant in Processionibus propriam erigere Crucem; sic pluries censuit Sac. Congregat. Conc. apud Ursayam, tom. 3, part. 2. discept. 23, num. 13. et signanter in Regiensi 5. Augusti 1719. in respons. ad septimum apud eundem loc. cit. num. 82. Unde ipsis Confraternitatibus, non Crux ad instar Cleri Sæcularis, et Regularis, sed sola Imago SS. Crucifixi, vel illius Sancti, sub cujus Instituto militant, permissa est, ut replicatis oraculis Sacre Congregationis referunt Donatus, Prax. Rerum Regularium, tom. 3, tit. 8. de Confraternit. Laic. qu. 28, num. 8. Ricciul. variar. lucubrat. lib. 4. de Confraternit. Laic. c. 14, num. 3. vers. *Ubi Confraternitates*; Ursaya, l. c. num. 13. Vide in calce hujus Artic. Not. Rom. Theolog.

(21. Cruces Altarium, et Processionum non sunt benedicendæ de præcepto, et qualibet Sacerdos eas private benedicere potest; Sac. Rituum Congregatio die 12 Julii 1704. Vide verb. *Benedicere, Benedictio*, art. 5, num. 23. ubi afferitur Decretum. (22. In Altari etiamsi sit expositum Venerabile, semper requiritur Crux cum Imagine Crucifixi. Sic Rituum Congregat. 14 Maji 1707 (1). Iterum vero causa reproposita die 2 Septembris 1741. decrevit, ut qualibet Ecclesia consuetudinem suam retineret. Ita ex Constitut. Benedicti XIV. incip. *Accipimus*; ex qua Constitut. plura ad rem protulimus, tom. 1, verb. *Altare* num. 59. ibi videnda; ad dubium autem, num committat peccatum grave celebrans in Altari, in quo Crux abest, communis sententia tenet id quidem non nisi venialem culpam inducere; Idem de Sacrific. Miss. lib. 3, c. 13, § 1.

(23. In fine Missæ ad quodcumque Altare celebratæ, fit reverentia Cruci infra gradus, capite semper aperto; Sac. Rit. Congreg. 23. Aug. 1627. Vide verb. Miss. art. 12, n. 67.

semper adsit Crux in Altari, dum est Sacramentum Eucharisticum in eo expositum. Quis autem credat, permitti posse hanc praxim in Urbe, si aliquid extaret Congregat. Rituum Decretum, quo expressa ea praxis prohiberetur (*)? (*Nota Romani Theologi.*)

(*) Hallucinatur hic Theologus dum asserit ex decreto S. R. C. 14 Maji 1707, a me relato c. v. sub num. 22, non colligi semper extare debere Crucem in Altari, in quo expositum sit Venerabile; quid enim clarius, quod ex vi dicti Decreti debebat semper de more poni Crux in Altari, etiam quando in eo expositum erat SS. Sacramentum? Quinimo, subjungit Theologus, ex variis ejusdem Sac. Congregat. Decretis constat, quod ad rem hanc spectat de Cruce in Altari ponenda, in quo est exposita Eucharistia, servandam consuetudinem, et morem propriæ Diocesis; quemadmodum declaravit nuper Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV, in Bulla *Accipimus*, etc. At debuerat Roman. Theol. non tacere dictam declarationem jam a me traditam fuisse in *Supplementis*, et in ipsamet sua Romana editione impressam verb. *Additio ex Auctore* 15, sub verb. *Altare privilegiatum*. (Responsio Auct. ad Not. R. Theol.)